



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Victorii Explicationes suarum in Catonem, Varronem, Columellam Castigationum**

**Vettori, Pietro**

**Lvgdvni, 1542**

In M. Varronis, Rervm Rvsticarum Librvm III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12981**



Stantem pro muro, & mutantem membra Caicum.  
cum pro Membra, Verba, legendum sit, ut opinor: Mu-  
tantem uerba, id est altercantem, conuicia facientem, &  
maledicta dicentem.

174 Ad Vitulū. Niger in Turrani nostri: illi par-  
tim, &c. In uetustissimis etiam codicibus locus deprauatus: secutus ueteris lectionis uestigia, ita emendaui: nec tamen firmam emendationē hanc puto. Niger enim Turrani cognomen erat, non ab illo diuersus: nisi aliquis eodem cognomine, ac diuersae familiae fuerit: aut eiusdem cognominis, ac gentis, qui praenomine distingueretur. Antiquam hinc scripturam ponam, quam studiosi accuratē perpendent: Ad Vitulum. Niger in Turrani in oste, illi, &c.

## IN M. V A R R O.

NIS, R E R V M R V

S T I C A R V M

L I B R V M

III.

176



Q U O D & in pace à rusticis L. alebantur, & in bello ab ijs tuebantur, Hunc locū in cunctis manu scriptis mendosum inueni: cum autem nihil ab excusis uariauerim, ueterem scripturam nunc indicare uolo: in qua idem uerbum secundi membri finis est, quod primi: id est, Ab ijs alebantur, in uetustis codicibus, ut supra A rusticis hominibus alebantur, legitur. Non tantum autem hoc admonui, offensus rariore significatu eius uerbi, quod in omnibus nunc excusis est, quam



quàm propter antiquorum librorum fidelitatem. Quis enim scit, an ita locus ex ingenio ab aliquo emendatore restitutus fuerit? non tamen uisum est receptam lectionem loco mouere: commodam praesertim, & quæ ferri possit: nam uetustissimos scriptores *παρθενικὸς* etiam tuor dixisse, uel hac eleganti inscriptione, quam Augustinus Nerrucius eruditus, ac diligens uir, cum Hispanias peragraret, inde attulit, manifestum fieri potuit.

PALLADI VICTRICI

SACRVM

HIC HOSTIVM RELLIQVIAS PROFLIGAVIT CATO. VBI SACELLVM MIRO ARTIFICIO CONDITVM ET AEREAM PALLADIS EFFIGIEM RELIQVIT. PAREANT ERGO ET NOSCANT OMNES SENATVS ET POPVLI ROMANI IMPERIVM DEORVM NVMI- NE ET MILITVM FORTITVDINE ET TVERI ET REGI.

Eam autem eò libentius adposui, quòd salua maiestate imperij, pietatis in Deos plena est.

Vocant collis Thebas. Ita emendavi è uetustis codicibus. antea in excusis Aeolis corruptè: quæ tamen lectio in semiuetere codice à me inuenta est. Quod addit M. Varro, non longè à Reate cliuum appellari Thebas, declarat hinc etiam Collis, legendum esse.

Quam priuati candidati tabella, dum ita, &c. 177  
Locus, nisi fallor, aliquam obscuritatem habet: quare eò libentius ueterem lectionem, non parum diuersam, indicabo. In antiquissimo, & fidelissimo legitur, Tabella dimidiata ædificemus. Eum autem plures secuti sunt.



In alio semiuetere, Dimidia ædificemus.

178 Eunti de controuersijs Interamnatum, & Reatinorum. Vetus hæc est lectio, quam synceram puto. In excusis post Reatinorum Cognituro, erat: quæ declaratio, ut opinor, fuit, addita ab aliquo, qui sine illa sermonem mancum, imperfectumq; putaret: à quo dissentio, qui nihil desiderari, & elegantiorem esse hunc modum loquendi, credo.

178 Tua inquit hæc in campo Martio. In excusis antea: Tua inquit Axius. id nomen sustulimus: non enim à M. Varrone hic positum fuisse credimus, sed ab aliquo additum, qui omnia nimis declarare studeret. Scholion quondam illud fuisse, ex optimo exemplari cognosci apertius potest: sic enim in illo, Tua inquit, scilicet Auxius, hæc &c. In quo hoc etiam animaduertendum, nunc Axius in uetustissimis libris, quandoq; Auxius legi: nam & hic, & supra Auxius. Auxius Appio subridens. quod etiam obseruaui in epistolis Ciceronis ad Atticum: cum enim in illis etiam huius Axij mentio sit, in optimo exemplari id nomen eodem pacto uariatum est.

118 Omnes omnium Reatinæ. Aliquæ hac parte maculæ in optimo exemplari: nam, Omnes omnium uniuersæ. Reatinæ, perperam in illo, ac nonnullis alijs legitur: & paulò post, Ornata, in iisdem non est: in quo culpam fuisse librarij puto.

118 Lysippi aut Antiphili. Et crebra. Antea in excusis, Aut Antiphili uidebis. id uerbum in nullo antiquo à me repertum est. supra etiam in iisdem Mea, non Meam: quod huic scripturæ respondet. In optimo exemplari nota ad hunc locum adposita erat, ea de causa puto, quia deprauatum illic nomen posterioris artificis. Ante philu, enim



enim scriptum erat.

Et quid igitur inquit est. Antiqua lectio deprava- 179  
uata: sic enim habent meliores codices, Et quid gus  
inquit, &c.

Et ea, & urbana. In excusis antea, Et rustica scili- 179  
cet, & urbana. Germanam huius loci lectionem esse ar-  
bitror, quam restitui, in optimis enim exemplaribus eam  
inueni: uitium, ut puto, inde factum est, quod cum nonnulli  
nimis obscure hic locutum Varronem putarent, addide-  
runt ad uerbum Ea, scilicet urbana. Imperiti postea li-  
brarij declarationem receperunt, & uerbum quod decla-  
ratum fuerat, reliquerunt. Sunt tamen hæ leues coniectu-  
re, & quæ nihil firmitatis habent.

Quam hinc apros macellarios Seius. Totus locus 179  
uariatus, in quo ego auctoritatem ueterum librorum secu-  
tus sum. Modicam libertatem, quam mihi permisi, nunc pa-  
tesfaciam: eaq; me non intemperanter usum declarabo. In  
cunctis antiquis Eius, extrema uox erat, ex qua una ad-  
dita litera, Seius feci: prior dictio in eandem literam de-  
sinebat: quare minore licentia inde illa sumi potuit. De  
Seio multis locis in his libris, & non multo post hic etiam  
mentio est. Miliarios, antea in excusis erat.

Non ne item L. Albutius. Nihil immutavi: in 181  
optimis tamen exemplaribus hic Abuccius. Iterum idem  
nomen hoc ipso in libro, ubi de Pauonibus agit, & in ex-  
cusis Albutius est. Ut quidem Abuccius habebat. T. Albu-  
tius uir doctus, ac optimis studijs deditus, Athenis uixit,  
ut Cicero in quinta questione Tusculana ostendit: fuitq;  
Albutius ille, de quo Lucilius in Satyra uenuste scripsit,  
cuius carmen in primo libro de Finibus Cicero adduxit.  
Hic, de quo M. Varro agit, uidetur Lucilium imitatus,

h

&amp;



et ipse Satyras scripsisse.

181 Ac uim, formamque eius expone Merula non grauate. Elegantior est antiqua hæc lectio, quam restitui, duobus uerbis immutatis. Sic etiam Cicero locutus est, in primo de Oratore: Cum uobis, non meo iudicio, sed uostro studio inductus, non grauate respondero.

181 Septa afficta uillæ. Afficta, scripsi è uetustis libris: antea enim in excusis Affixa. Vbi de columbis agit, in manu scriptis, et forma excusis pariter, Sub ordines singulos tabule fictæ. non multo post in antiquis tantum, Duabus uirgis uiscatis defictis, et c. De Gallinis, Aut exculpta, aut afficta firmiter: etiam in impressis.

182 Et nata nutrire saginareque. Dissentit à communi hac, antiqua lectio: quam si non recepi, tamen notam esse uolo: Nutricari, saginisque, &c.

182 Quam tum habebant totæ uillæ. Vetus lectio, Tutas uillas. Tutas autem, pro Totas: ut in iisdem libris Rutundum, sepe pro Rotundum.

183 E' tuo flumine. Sic legimus in optimo codice, aliisque nonnullis. in excusis antea, E' uicino. Vetus lectio hunc sensum habere potest, ut Merula ad M. Varronem aspiciat, qui sub Casino uillam habuit, ut è consequente etiam capite intelligitur. Infra de eodem fluuio, Cum habeat sub oppido Casino flumen, quod per uillam fluat, et c. In eodem etiam codice, Immidium, non Minidium scriptum inuenimus.

184 Vnde, non ubi sumuntur pingues turdi. Hunc etiam locum restitui: antea in omnibus excusis, Vnde non nulli, &c. insulso, ac frigido sensu: non enim dici potest, quanto elegantior, ac suauior sit uetus lectio. Iocatur in uerbo Sumuntur, quod simplicem intellectum non habet



habet: nam Sumere, & manu capere, & ore significat, id est comedere, ac deuorare. Ostēdit igitur, se loqui uelle de ornithone, è quo promuntur turdi: non in quo, appa- rato conuiuio, eduntur: supra enim dixerat, esse auarij ge- nus oblectationis causa constructum, in quo delicatè coe- nitarent: sed politi ingenij homo facetè, & iocose hæc ex- ponit. Ostendam nō multo post iterum hoc uerbo eodem intellectu M. Varronem usum. Adducitur à Nonio Var- ronis hic locus Prometheo libro 11. Cū sumere cœpisset, uoluptas retineret, cū sat haberet, satias, manum de mensa tollere. In quo affirmari Sumere hoc intellectu usurpatum ab eo fuisse.

Tectorio tacta esse leui. Vetus hæc est lectio, quam 184 probaui. antea in excusis Tecta. Hoc in libro iterum, ubi de leporibus, Vt tectorio tacta sint, & sint alta. Idem er- ror erat illic in excusis.

In hoc tecto, caueatq. Nihil immutauī, antiquam 185 tamen scripturam notam esse uolo, si quid opis asferre pos- sit ad locum restituendum: qui cum tantopere à ueteribus uestigijs discrepet, merito suspectus esse debet. In hoc tecto cauijs, quæ cauijs tabulata habeant aliquod adportat supplementum.

Atque alieno tempore uenditoris moriantur. 185 Sic etiam Lucretius inquit,  
-aliena salutis eorum.

Et Cicero in primo questionum Academicarum ad Var- ronem, Et uno nomine omnia, quæ essent aliena firmæ, & constantis assensionis. antea in excusis, Alio casu uen- ditori.

Tum mihi tu dic illud, &c. Antiqui libri uitiosi: 185 sic enim habent, Multum dic illud, &c. Ne hoc qui-  
h 2 dem



dem occulere uolui.

186 Quæ est à Vinio fluuio. Fluuij nomen in antiquis perturbatum, non tamen receptam lectionem temere uariari, ueterem tantum indicare uolo: illa autem hæc est, Quæ est animo fluuio. De uero fluuij nomine nihil compertum habeo: amnis paulò post muliebri genere appellatur in fidelissimis libris, quemadmodum sæpe à uetustis auctoribus appellatam Nonius docet, qui etiam Varronis ipsius hoc exemplum adducit, πῶς πλοῦτος libro primo: In hac ciuitate agros colunt arenosos: propter hos fuit amnis, quam olim Albulam dicunt uocitatam.

186 Qua iter in aream est. Antiqua hic etiã lectio perturbata, & sanè totum caput crebrioribus maculis inquinatum: Qua introitus itur in aream est. Quomodo corrigi locus debeat, si uitium etiam in communi est, non uideo.

186 Quibus cibus ministratur per retem. Et hic, & alijs etiam locis uirili genere in antiquis libris, Retis, à Varrone usurpatur. Sed Plautus etiam Rudente ita illum appellauit: alij uetusti scriptores, ut Græmatici testantur.

187 Circum falere & naualia. In excusis antea, Natatilia: In cunctis manuscriptis, Naualia. cur tantum consensum ueterum codicum damnarem, non fuit.

187 Epitonij uersis. Antea in excusis, Epistomij: uerriorem esse Epitonij, lectionem putauim: nam ita in cunctis manuscriptis inueni, & huic rei uocabulum hoc ualde accommodatum est, quo etiam Vlpianus iurisperitus usus est, de Actionibus empti, & uenditi. L. Fundi. Castella plumbea, putea, opercula puteorum, epitonia, fistula applumbata, aut quæ terra continentur, quamuis non sint affixa, ædium esse constat. Vidi etiam uetustissimum Vitruuij



truuij codicem, in quo ita hic locus è decimo libro scriptus  
esset: Ratione uerò uectium uehementiore Spiritus fre-  
quens cōpressus Epitonicorum aperturis influit. cū ex-  
cusi formis habeant, Epistomiorum. Epitonia, ut nomen  
ostēdit, instrumēta sunt, quibus chordæ finesq; intēdūtur.

Stella lucifer interdiu, noctu hesperus. Magnifi- 187  
cè hic ornithon, uel delicatè potius constructus erat, si in  
eo siderum etiam cursus conspiciebatur, & stellarum erat  
ortus, obitusq; descriptus. Prisci illi cœlestis rationis igna-  
ri, diuersas stellas Phosphorū, & Hesperum existimabant.  
Parmenides primus unam, eandemq; esse inuestigauit: alij  
Pythagoram dixerunt. φωσφορος Latino nomine Var-  
ro Luciferum appellauit. Catullus, quò εωσπος Latine  
exprimeret, Noctifer finxit: nam uesper à Græco uoca-  
bulo declinata, Græca uox uidetur: in Epithalamio au-  
tem hoc fecit, uersiculo illo:

Nimirum Oeteos ostendit Noctifer ignis.

Ita enim corrigendus est: excusi alij Eoos, alij Aetherios  
habent, manu scripti Oeteos. ita autem legendum esse  
testimonio etiam optimi Poëtæ confirmatur: qui in pa-  
storali carmine inquit,

Sparge marite nuces tibi deserit Hesperus Oetam.

id est, nox fit, & Vesper iam surgit: ex eo enim monte no-  
cte aduentante Stellæ surgere uidebantur: Illud autem si-  
gnum expectabatur, statimq; uirgo domum mariti dedu-  
cebatur. Eo igitur uiso, iuuenes quid dicturi essent, secum  
cogitare cœperunt. Contrà puellæ, studio iuuenū animad-  
uerso, cognouerunt Vesperum exortum: ante enim or-  
tum illius non erat necesse festinare. Est autem Epithala-  
mium illud è genere eorum, quæ Græci (quòd ab ortu  
Vesperis ad mediam usque noctem canerentur, donec so-



mnium caperent) καὶ καίμην καὶ appellabant.

188 Fortasse ante eum duceret ferram. Nihil hic immutavi, suspectum tamen locum habeo: nam, Ante se, nisi fallor, recta sermonis ratio, ut scriberetur, poscere uidebatur (Quanquam Cicero eodem modo uidetur illud protulisse, initio primi libri Acad. questionum ad Varronem: Nuntiatum est nobis à M. Varrone uenisse eum Roma pridie uesper). Præterea antiquos libros diuersos offendit. in optimo codice, alijsq; Ante cum duceret, &c. In semiuetere, Ante conduceret. Hunc igitur locum alijs discutiendum relinquo.

189 M. Aufidius Lurco. In cognomine discrepant antiqui codices: Lyrcho enim in illis est, nec tamen aliquid uariaui. M. Lurconis mentionem fecit Cicero pro L. Flacco: an idem sit, dijudicari non potest: tempora certè, quin iidem esse potuerint, non impediunt. Itaque eodem etiam M. Lurco uir optimus, meus familiaris, conuertit aculeum testimonij sui. Apud Plinium quoque, qui eandem rem, quam Varro narrat, Aufidij cognomen Lurco est.

190 Sami in luco Iunonis. Hoc etiam apud Athenæum libro xiiii. λεγν. legimus: Μηνόδωτος δὲ ὁ σάμιος ἐν τῷ περὶ τῆς κατὰ τὴν ἱερὸν τῆς Ἀμίας ἡρας φησὶν. οἱ τοιοῦτοι ἱεροὶ εἰσιν ὅς ἡρας καὶ μύσθους πρῶτοι καὶ ἐνέοντες καὶ ἐπράττειν ἐν σάμῳ καὶ ἐν ἑσθέρῳ εἰς τὰς ἑξῶς πόλεις διεσθῆναι. Cuius etiam rei Athenæus testimonia adducit ueterum Poëtarum. nam inde quoque natum inquit, ut in nomismate Samio Pauo exculptus esset.

191 Refert in testabilem eam, in qua, &c. Veterem lectionem reposui: sed quia non omnino de fidelitate ipsius securus sum, ideo ad eam notam adposui. Confido tamen, si maculam aliquam habeat, non magnam illam esse, & multo



multo meliorem hanc, quam communem, ac peruulgatam iudico: quam puto ab emendatore aliquo ita concinnatam fuisse. In excusis autem hæc erat, In id tectum, in quo Pauones habet, quod magnum, &c.

Primus hos Q. Hortensius. Multa de Pauonibus 189  
libro, quo antea ostendimus, exposuit Athenæus: nō pauciora idem etiam 1 x. libro. Aelianus quoque περὶ ἰώων ἰδιότητος, capite x x. Quinti libri plurima & ipse tradidit: nam hoc etiam, quod nunc à M. Varrone de Hortensio narratur, recitauit. Romanus enim homo, quamuis Græco sermone multa scripsisset, Romanas res egregiè callebat: non sine pœna tamen hoc ab Hortensio tentatum esse dicit: cum Varro apud probos solū, & seueros homines illum offendisse narret: nam ab delicatis hominibus, & qui gutturi uoluptates sequuntur, potius Hortensium gratiam eo factō inisse ostendit. uerba Aeliani hæc sunt: Ὁρτένσιος ὁ ὁ γράμματι καταδύσας ἐπὶ δειπνῶ τῶν περὶ ἐπίδης. Ἐπὶ δὲ, in iudicium uocatus est, causam dixit: nisi aliquis putet pro κατὰ ἐπὶ δὲ positum esse, id est condemnatus est. Addit etiam, Alexandrum Macedonem, aspectu harum auium apud Indos obstupuisse, eiq; qui Pauonem interfecisset, grauius minatum esse.

Augurali adijciali cœna. In excusis quibusdā me- 189  
dia uox nō est, quæ in antiquis omnibus inuenitur. Plinius lib. x. cap. x x. cum hanc rem referret, id quoq; addidit: Pauonem cibi gratia Romæ primus occidit Orator Hortensius adijciali cœna sacerdotij. Cogitandum etiam diligenter, an pro Augurali, Augur legi debeat.

Intus ternorum palmarum. In antiquis alio ge- 190  
nere, Ternarum palmarū. Nihil immutauit: non enim legi, aut hunc ipsum alibi, aut alios bonos auctores, cum

h 4 men



mensuram intelligerent, muliebri genere *Palnam* appellasse.

192 *Assem semissem.* Antiquorum librorum lectio. In excusis, Ex asse semissem, antea legebatur.

192 Ego quæ requiro farturæ à fura. Excusi libri inter se diuersi, nedum solum ab antiquis discrepent. in uetustissimo, & optimo exemplari mendosus etiam locus est, eius scripturam hinc apponam: Ego quæ requiro farturæ assuræ, &c. In semiuetere pro Sarsuræ, Salsuræ. cætera eadem. Quomodo tam inquinatus locus purgari possit, planè non perspicio.

192 *Racemari non potui.* Ita emēdaui, rectè, ut opinor, modestè certe, & temperanter: uetus enim lectio *Racimari*, antea, *Ratiocinari*, incōmodè, nisi fallor, & insulsè legebatur. Verbum hoc, quod restitui, aliunde huc translatum est, & à uindemia sumptum: nam *Racemationes* etiam studia eorū dicebantur, qui post uindemiam factam relictos negligentia minutiores racemos colligerent: à Græcis ἐπιφυλλίδες racemi illi, quod folijs tecti fallerēt facile, appellabantur. Id autem uerbum etiam aptissimè lepidissimus Poëta ad aliam rem transtulit, in fabula quam βατράχους appellauit. ἐπιφυλλίδες τὰὐτ' ἐστὶ καὶ σωμύλματα.

193 *Tanagricos, & Medicos.* In antiquis libris *Melicos*, corruptè: quem errorem in suæ etiam ætatis imperitis hominibus refellit Columella: cū enim & ipse de diuersis generibus Gallinarum ageret, inquit: Et *Medicum*, quod ab imperito uulgo, litera mutata, *Melicum* appellatur. Hoc etiam ante illum fecerat Varro: nam infra & ipse falsò Gallinas ita appellatas ostendit. Sex. tamen Pompeius multitudinis cōsuetudinem non contempsit, & uerbum id suo loco agnouit. *Melica*, inquit, *Gallina*, quod in Med



in Media id genus auium corporis amplissimi fiat. L, li-  
tera pro D, substituta. Quemadmodum etiam in Gallia  
nunc cisalpina Melica, pro Medica appellatur, qua ad  
boues saginandos utuntur: unde etiam apud nos id genus  
frugis Sagina appellatum est. Aliam tamen ab hac Me-  
dicam ueterum fuisse, manifestum est: nomen tantum in  
ipsis in Italia conseruatum ipsa perijt: & id etiam alie  
frugi adtributum, quæ & noua in hac terra est, & dese-  
ctum illius supplet: non tamen omni pecori, cui antiqua  
hæc, utilis est: nam equi etiam illa alebantur, ut Aristo-  
phanes Equitibus (ita enim fabulam appellauit) osten-  
dit: cum enim equos ipsorum laudaret, inquit alio genere  
cibi illos uti, ac ceteri equi faciant:

Ἡδίων ὃ παρ' οὐροῦ ἀντὶ πόας ἀνδρῶν.

In pariete exculpta sint cubilia earum. Duo le- 194  
guntur in manu scriptis codicibus, quæ non recepi. Ex-  
clusa, enim hic, non Exculpta, habent: nec multo post,  
ubi excusi, Posita sint cubilia, in iisdem, Plena sint &c.

Potius uetulis quàm pullastris, & quæ rostra  
aut ungues &c. In excusis antea aliter legebatur: ipse 194  
ope uetustorum codicum ita emendaui: in priore lectione  
duo præcipiebantur, ut oua è uetulis gallinis, non pulla-  
stris edita legerentur: & ut uetulis item gallinis suppo-  
nerentur: in posteriore hac alterum tantum, ut uetulis  
subijciantur, & quæ rostra, & ungues non habeant acu-  
tos. Vnum tamen est in uetere scriptura, quod maculosum,  
deprauatumq; olim iudicatum est: notam enim adposi-  
tam habet, Pullitris, autem id est, quod pro pullastris in  
antiquo scriptum est.

Quod in eis uitales uenas &c. Omne etiam paruum 194  
mendum tollere cupimus, nec aliquam tam pusillam labem

h s

esse



esse credimus, quæ in tam polito scriptore molesta non sit. Antiqua igitur lectio, Quod inanes uitales &c. Corrupta illa quidem manifestò : animaduertant tamen studiosi, an uerba quæ excusi habent (In eis, inquam) uacent, & ab aliquo correctore reposita sint, qui deprauatam uocem Inanes, restituere concupiuerit : potuit enim imprudentia librarius labi : & cum superior perioche ab eodē uerbo incipiat, ac post id, Inane, habeat, dum se credidit hanc exscribere, primam illius partem exscripsisse, postea errore cognito id delere non curasse.

195 Vt se uolutare possint, &c. Antiqua lectio diuersa, receptam tamen retinui, quæ commoda est, & omni uitio caret, neq; tamen ob id etiam uetus repudiari potest, Vt uolitare possint. Communem adiuuat Columella, qui puluerem, & cinerem, ubi gallinæ degunt, reponi debere docet, idq; sententia Heracleti Ephesij confirmat. Veterem Varro ipse, qui sine puluere aërem ipsum apertum columbas reficere posse tradit : Libero aëre, cum exierint in agros, redintegrentur. Quod enim columbis prodest, gallinas etiam adiuuare uerisimile est.

196 Intiminium, Album, ingaunum. Vetus hæc est lectio : nam, Vintinulium, quod antea in excusis erat, manifestò corruptum. Quamuis enim nunc uulgò oppidum ea in regione ita appelletur, deprauatum id uocabulum est, ac uestigia tantum retinet prisce nominis. Intemelium Strabo uocat, ac Intemelios populos, quos etiam Cælius in epistola ad Ciceronem appellat. Pro, Album, ingaunum : fortasse, Albingaunum, legendum.

196 In triclinium ganearium. Prisca lectio diuersa est, Genanium : nec tamen ab omni macula illam mundam esse affirmarim. In Lexico, quod magnifico nomine The-  
saur



*saurum* Latinae linguae appellarunt, *Triclinium* genaium scriptum: ita enim habebant libri Varronis, primis huius noui reperti excudendi libros temporibus impressi: nec tamen aliquid addiderunt, quod eam lectionem adiuuaret.

Et angustum, & tenebricosum. Sic omnes manu scripti codices. Antea in excusis, *Tenebrosum*. Veterem lectionem commendat sermo doctissimi, & elegantissimi poetae, Qui nunc it per iter tenebricosum. Libro etiam 1111. rerum humanarum M. Varro (ut apud Nonium legitur) *Specum tenebricosum* appellauit.

Et lux pinguitudini inimica. Antiqui omnes libri, *Pinguitudinis uindicta*: quam ueterem scripturam nec omnino contemnere debeo, nec explicare adhuc possum.

Anseribus admittendis &c. Ita castigauit e uetustis codicibus, parua correctione adhibita: uetus lectio, *Anseribus admittendum* huius tempus. Antea in excusis, *Ad amittendum tempus*. &c. Columella iudicium meum confirmat, qui inquit, *Anseribus admittendis tempus aptissimum*, & quae sequuntur.

Saliunt ferè in aqua, dum se mergunt &c. Vetus lectio à communi diuersa: *In aqua inungentur in flumen* &c. Communi, ac peruulgata non ualde delector, otiosa enim, & inanis posterior sententia mihi uidetur: Satis enim id aperuerat, cum dixerat, *anseris in aqua coire*. Antiquam omni mendo uacare, affirmare non auisim: nec tamen illam negligendam puto, quae in tot uetustissimis libris inuenitur. Plinius breuius hunc locum persecutus est: *Anseres in aqua coeunt, pariunt uere*.

Notandum earum oua. Recentiores Graeci de re rustica auctores multa à Varrone acceperunt: eorum autem plures sententiae in commentarijs, ad Constantinum missis



missis, collectæ sunt. Nam hæc etiam præcepta Varronis à Quintilijs in Græcum sermonem translata sunt, libro

XIIII. <sup>391</sup> Δὲ δὲ σημειῶσαι ἐκείνης χηνὸς τὰ ὡς διὰ χαρακτῆρων πνῶν, καὶ ταῦτα ὑποπθέναι τῇ μητρὶ. τὰ γὰρ

197 ὡλότρια, τὸ τὸ γένεθ' ἔθάλπει. Δὲ ὃ ὑποπθέναι ὡς ἔως τῶν θ.

In quis non includant. Antiqui libri, In quæ non inducant. Infra tamen, Cùm autem sunt inclusi in has, aut speluncas, ut dixi. Significare enim uidetur non solum se eandem sententiam antea, sed ijsdem etiam uer-

198 bis protulisse: nam sensum uetus lectio non uariaret.

Ne si eo inegerint. Elegantior hæc est lectio, quam restitui, è ueteribus sanè libris accepta. Ostendi antea sæpe Varronem hoc uerbum usurpasse. Inigere anseres, ut inigere pecus, dictum est: parua labes in antiqua scriptura erat, si labes illa dici debet, Ne si eo inecerint. Vnius igitur literæ correctio, quicquid erat maculæ, sustulit.

198 Quotiescunque sumpserunt, locus &c. Qui Sumere, apud bonos auctores cibum capere significare non animaduenterant, omnia hic perturbant: uerba audacter commutarant, interpunctiones non suo loco posuerant, superiorem sententiam contaminant: quæ omnia uitia ab antiquis libris longè absunt. Intellectus autem nunc tam apertus, ut declaratione non egeat: nos etiam in sermone nostro patrio, uerbo quod huic respondet, eodè sensu sæpe utimur, & pro comedere usurpamus.

198 Quod ipsi amant. Et hic, & paulo post iterum, muliebri genere in antiquis libris Anseres appellantur: nihil tamen uariaui: nam suprâ, cùm de illis agere cœpit, in ijsdem etiam antiquis libris uirili genere uocantur.

200 Mares ut fœminas. In excusis antea, Mares in fœminas, corruptè: uetus lectio & uera, & elegans est: neq;



neq; enim, inquit, diligentiam adhibere oportet, ut tot mares, quot fœminæ intromittantur: nam & si omnes mares, aut omnes fœminas intromiseris, citò tamen leporarium impleueris: utranq; enim naturam lepores habere existimati sunt: quod à Democrito etiam in Geoponicis accuratè traditur: & ab Aeliano libro x i i i. cap. x i i. πορὶ ιδιότητι τῷ ζῳον. Cuius uerba adponam: nondum enim scriptor ille formis excusus, ac peruulgatus est: Θηράτω δὲ ἀνδρὸς καὶ τὰ ἑτέρα ἀγαθοῦ, οἷον μὴ ἄρ' ἐνυπαδα λόγον ἤκουσα καὶ αὐτῷ πεπίστευκα. καὶ δὴ καὶ διὰ ταῦτα ἐρήσειαι. τίς γάρ δὴ καὶ ἄρ' ἔνας λαγῶς ἔλεγε καὶ ἔχειν παιδοποιεῖν τε ἅμα καὶ ὠδινεῖν ὡς τῆς φύσεως μὴ ἀμοιρεῖν ἐκείρας καὶ ὡς ἐκτρέφει τεκῶν ἔλεγε καὶ ὡς ἀποτίκει καὶ θύου καὶ πρία καὶ ποπο ἑμαρτύρει. & ea quæ sequuntur: addit enim alia non minus admirabilia. Plinius etiam ab Archelao id affirmari narrat.

Quod eum Aeolis Boeotij leporim. Nescio an in his uerbis mendum sit, antiqua certè lectio diuersa, quæ tamen ualde perturbata est: Aeolis & bonum leporum. Suspicio ex ingenio ab aliquo correctore, ut nunc in excusis legitur, conformatum fuisse: melius ne corrigi locus queat, eruditi, & ingeniosi uiri uidebunt. In v. libro de lingua Latina aliter de huius uocis etymo Varro sentit. Lepus, quod è Siculis quidam Græci dicunt λέπωρις. A Roma quòd orti Siculi, ut annales ueteres nostri dicunt, fortasse hinc illuc tulerunt, & hic reliquerunt, id nomen.

Vbi tanta circumfluxit. &c. Vetust lectio diuersa est, Vt tantum circumfluxerit nos. Quam tamen non recepi, nec probari posse puto, nisi uitium sit in his, quæ sequuntur, Varronis uerbis: eruditiores tamen de hoc etiam statuent.

Aqua



- 202 Aqua inquam finiendæ. Antea, Cludendæ, elegans hoc uerbum, & ualde hîc accommodatum, è ueteribus libris sumpsi, nec multo post interpunctiones suo loco collocaui: antea enim malè distincta oratio, omnem sensum confundebat.
- 202 Ita ut in eas L X X X. &c. Ita locum restitui ope uetustorum codicum, ex ingenio tamen, quod desiderari uidebatur, addidi. Quò autem studiosi, rectè ne hac libertate usus sim, iudicare possint, ueterem lectionem adponam: Ita ut eas L X X X. quadrantes coici possint. Alij nimis omnia explanare uoluerant.
- 203 Cum cumulatim positum est. Antiqua lectio deprauata, quam corrigere nequiui. ut alij in hoc laborent, eam omnibus proponam, & uitia peruulgatæ ostendam. Optimus, ac uetustissimus codex, Quibus in tenebris cumularim positum est in doleis. Mediæ uetustatis liber, qui semper mendosior esse consueuit, Quibus in tenebris cliuulatim positum &c. Quanquam hylarim, posse pro cliuulatim, legi, supra ille adnotatum habet. Malè habitum esse olim hunc locum omnes nunc uidere possunt. In communi, Cum cumulatim, & sono uocis, & sententia etiam non ualde mihi satis facit.
- 203 Βοὸς φθιμῆνς πεπονημένα τέκνα. Cum alijs omnibus in locis literis Græcis Græcæ uoces in optimo exemplari scriptæ sint, hic tantum Latinis: quare magis laboraui. Tertiam dictionem mendum continere puto: non enim conuenit illi cum uetustis uestigijs, nec sensum præterea ullum idoneum habet. Notas quas pro illa inueni accuratè exprimam, Pepianem mina: ex ijs quamuis conatus fuerim, nihil quod firmum esset, elicere potui: nam quod φθιμῆνς, quàm φθινομένην scribere malui, dedi id antiquorum



quorum librorum auctoritati.

ἵππων μὲν σφῆκες. Duo hic antea hexametri uersus 204  
erant, qui parum immutatis uocibus eandem penitus sen-  
tentiam habebant : posteriorem illorum abundare existi-  
maui : eius enim in manuscriptis codicibus uestigium nul-  
lum inueni, priorem retinui. Quem deleui Simplicius in  
primum Aristotelis φυσικῆς ἀκρόσεως adducit, <sup>52</sup>. Οἷον  
ὁ κύων ἐξ ἵππου ἢ μᾶλλον σφῆκες ἐξ ἵππου ἢ μέλισσαι ἐκ  
ταύρου. ἵπποι γὰρ σφηκῶν γένεσις ταῦτοι ὁ μελισσῶν. Et si  
apud eum quoq; aliquantulum uariatus est. Vt autem li-  
berè quod sentio proferam : arbitror olim in diuersis M.  
Varronis exemplaribus diuersè illum legi solitum, aut ab  
alijs etiam scriptoribus aliter pronuntiatum : undè non-  
nulli infulsè existimauerint, utrunque in hoc loco neces-  
sarium esse.

Intus opus faciunt. Vetusta hæc lectio, quam ue- 204  
riorem puto : antea in excusis, Intus fauos melle far-  
ciunt. Nam quod paulo post inquit M. Varro, Fauus ue-  
nit in altaria : ad rem diuinam ueteres fauos adhibere so-  
litos manifestum est. Euripides Iphigenia in Tauris,

καὶ τῆς ὀρέας ἀνθεμόρρετον γάνθ,  
Ξανθὴς μελίτης ἐς πῦρ ἐμβαλὼ σέθεν.

Itaque nulla harum assidit &c. Totum hunc lo- 204  
cum Didymus à Varrone accepit, in Geoponicis <sup>413</sup>.  
Ἐστὶ δὲ καθαρόν ὑπερβολὴ τὸ ῥῶον, ὕδνι τ' οὐσώδων καὶ  
ἀκαθάρτων προσέανον, οὔτε λίχνον. οὔτε γὰρ σαρκίη. &c.

Non ut muscæ ligurriunt. Duo rr, hoc uerbum 204  
habere in optimis exemplaribus, & hîc, & apud Teren-  
tium obseruauî, In Eunuchio : Quæ cum amatore suo cùm  
coenant, ligurriunt. Ligurriunt enim, flosculos epularum  
carpunt, & delicates dapes studiosè sectantur : quem  
sen



sensum in Adelphis alijs uerbis expressit, Atq; unum, quod quidem erit bellissimum, carpam.

204 Numero reducunt. In antiquis duo dd, hoc uerbum habet, & sanè saepe ueteres ita scribere solebant, ut Grammatici etiam ostendunt, & testimonio optimorum auctorum confirmant. Sententia autem ab Aristotele accepta est: οδοῦσι ὃ χαίρειν αἱ μέλιτ' αὖ καὶ τῷ κρότῳ, διὸ καὶ προ- τέρητες φασὶν ἀσσοῖσιν αὐτὰς εἶς τὴν μένος ὁσράκεις τε καὶ ἰόφοις.

205 Ita'que insectantes à se eiciunt fucos. Ita ex antiquis codicibus emendaui. uetus lectio paruum maculam habebat, quam deleui. Itaq; impectantes &c. Vnius igitur literæ correctio totam rem confecit.

205 Physicam addiscat. Nihil hic uariaui, uetustam tamen scripturam proponam, quæ siquid in se boni habet, ualde hic perturbatum, ac obscuratum habet: Physicam achiscat.

205 Nunc cursu lampada tibi trado. Ductum esse hunc sermonem à ludis, quos Athenis faciebant, & λαμπαδοῦχος ἀγωνία appellabant, manifestum est. è Latinis auctoribus Lucretius etiam elegantissimè inde translatis nominibus inquit,

Et quasi uitai cursores lampada tradunt.

Plato περὶ νόμων libro v i. de eadem, qua Latinus poëta, re agens, eodem pacto locutus est: γεννῶντας καὶ ἐκτρέφοντας παῖδας, καθάπερ λαμπάδα τὴν βίον παραδιδόντας ἄλλοις ἐξ ἄλλων.

205 Quidam μέλιον appellant. Optimum exemplar, Mellinen, habet: nihil tamen immutavi. μελιτ' αἶναι, quam eandem μελισσόφυλλον, & μελίφυλλον uocabant, appellasse Dioscoridem & Nicandrum Colophonium, manifestum est. De tertio hoc nomine Varronis planè mihi non constat.

Vbi



Vbi sint, alij faciunt &c. Excusi antea, Aluos ubi 206  
sint. Quarum primam uocem superuacaneam esse duxi, &  
quod in manu scriptis non inueni, & quod sine illa sensus  
pulchrè constaret. Vbi sint, enim appellauit domicilia  
ipsarum: quod etiam confirmari his, quæ postea à Var-  
rone dicuntur, potest: cum enim ex qua materia fierent  
copiosè docuisset, iam illas Aluos coepit appellare. Hæc  
omnia uocant à mellis alimonio, aluos. Quomodo enim  
debit eo uerbo uti, antequam uim illius exposuisset?

Vitiles fimo bubulo oblinunt intus. Antea, Fi- 206  
ctiles, in excusis. Vitiles emendaui, & auctoritate ueterum  
codicum, & ratione ita suadente. Fictilia enim uasa per se  
intus & extra læuia sunt, nec asperitatē ullam habēt: quo  
uitio laborare dixit uitiles aluos, nisi remedium adhibea-  
tur: nam Vitilia, ut quallos, cistas, & quicquid ex uimini-  
bus sit, aspera esse constat. Vitile autem appellant Latini  
scriptores, quod lentum est, & facile flectitur. Plinius ui-  
tilibus nauigijs, corio circūfucis, Britannos nauigare dixit.  
Idem etiā lib. x i i i. cap. i i i i. de quodā genere palmarū  
agens, inquit: Folio latiore, ac molli, ad uitilia utilissimo.

Ne si non animaduenterint, inopiam escæ ha- 208  
buisse. &c. Receptam lectionem retinui, & si illam non  
bene firmam puto: nam præterquam quod à uetere dissen-  
tit, per se etiam mihi ualde suspecta est. Vetus ipsa contur-  
bator, & mendosior, nisi uestigia seruet ueræ lectionis.  
Cum maiore nullam opem studiosis dare possim, priscā scri-  
pturam illis ostendam: Ne cum animaduenterint, aut  
inopiam esse habuisse dicitis ait cum sint apes &c.

Quod est aliud melle, propoli. Ita in manu scriptis 208  
antiquioribus scriptū inueni: qui modus loquēdi quāuis  
rarior sit, ab optimis tamē auctoribus usurpatur. Locus ille  
i ex epi



ex epistola Bruti & Cassij ad Antonium ita legitur in fidelissimo exemplari: Nos ab initio spectasse otium, nec quicquam aliud libertate communi quæsisse, exitus declarat. Eadem ratione Flaccus in epistola ad Quintium uidetur illud dixisse:

Néue putes alium sapiente bonoq; beatum.

208 Quod fit è malo & pyris syluestribus cibum, & mel. In excusis antea, Ceram, & mel: euncti manu scripti, Circum & mel, habent. Cibum, coniectura ductus emendauit, nã uetus lectio maculam habebat, quam sic deleri posse censui. Adiuuat autem iudiciũ meum, quod infra è papauere præberi dicit ceram & mel: & aliter duplex hoc ministerium appellat, id est à superiore diuersum.

209 Ita ut ne altitudine ascēdat. Antea in excusis, Descendat, mendosè. Inde natus error uidetur, quod in manu scriptis Escendat. Obseruauit autẽ in priscis exemplaribus saepe hoc uerbum ita scriptum esse, ut in primo libro Varronis: E uinea in arbores escendit uitis. Item eodem libro, In carnarium escendat.

209 Vno tempore, ne potu &c. Et manu scripti omnes codices, & formis etiam excusi nonnulli, ita legunt: nam alij uno tenore, mendosè.

209 Quum foras hyeme &c. Valdè à priore lectione locus immutatus: nam sententiã, non uerba solũ, uariatam habet. Modica in hac re licentia usus sum: ut tamen fidem meam exoluam, ueterem hic scripturam adponam, & quid secutus sim, omnibus aperiã. Adponunt ibi, quo oras hyeme in pabulum procedere tamen possunt. Ex perturbatis illis uocibus, Quo oras: Quum foras, finxi: cetera ut illic erant, à priscis libris sumpsit, idoneumq; sensum habere hanc lectionem puto. Alij sunt, inquit, qui magis



magis apibus prospiciunt, & commodis eorum obsequuntur, qui hyeme cum in pabulum tamen procedere possunt, quia sciunt asperum id anni tempus esse, nec aliquid eas inuenire, quo ali possint, adponunt &c.

Cum plenas aluos habent &c. Locus, nisi fallor, 210  
mendosissimus, & studio emendatorū quorundam ita con-  
cinnatus: antiqua certē scriptura diuersissima: quæ tamē ita  
deprauata sit, ut eā me corrigere posse, diffusus sim. Alij for-  
tasse maioris ingenij, ac doctrinæ uiri, eū diligētia adhibita  
restituunt, aut pro desperato locus habebitur. Vetus lectio,  
Ex ipsis uiris aluos habeat uem cōgerminarit conie-  
cturā, &c. Ita in cūctis manu scriptis miro cōsensu legitur.

Et si opercula alui cū remota sint. Antiqua lectio 210  
maculosa, cuius etiam vitia accurato librario cognita fue-  
rint: nam notam ad eam, quam solet, adposuit. Sic igitur in  
prisca libris, Et si opercula alium cum remore is.

Fauī qui eximuntur, &c. E' ueteris libris ita scripsi. 210  
Animaduertendus modus loquendi: nam in excusis antea,  
Fauorum qui eximuntur, &c. Quo autē ratio ueteris scri-  
pturæ intelligatur, totū locum, ut in optimo exēplari scri-  
ptū inueni, hīc adponā, Fauī qui eximūtur. Siqua pars  
nihil habet, aut habet in cunatū, cultello præficatur.

Antequàm ipsæ prouiderint id fore. In cunctis  
excusis perperam interpunctiones collocatæ erāt: in non-  
nullis præterea corruptè Ferè, pro Fore, legebatur: o-  
mnes maculas deleui. Quòd autè prouidentiam in apibus  
esse inquit, accepit id ab Aristotele, à quo magnā partem  
horum præceptorum de apibus mutuatus est: Προγνώσκεισι  
ἡ, inquit ille, καὶ χειμῶνας καὶ ὕδαρ αἱ μέλιττα. σημεῖον ἡ: ὅτι  
ἀποπνέοντα γὰρ αὐτὴ ἐν τῇ ἐνδείᾳ αὐτὸ ἀνελθόντα ὁ γινώσκουσι  
οἱ μέλιττες, καὶ χειμῶνα προσδέχοντα.



211 Ac tepido prono ad meridiem. Locus deprauatus, ut facile, qui accuratè attendat, animaduertet. Vetus etiam lectio perturbata, ac uitiosa, quæ in optimo etiam exemplari mendi notam adpositam habet: eam autem ut unusquisque in ipsa purganda ingenium exercere possit, cum fide proponam: Ac tepido promum è die quam maximè, &c.

211 Infriandum paulo plus, &c. Sic in omnibus manuscriptis inuenio: antea, Infricandum, nisi fallor, mendosè: quod etiam ex ijs uerbis, quæ M. Varro addit, cognosci potest: ne dum enim illas fricari utile esse censeat, manu tangi non uult: cuius rei ratio aperta est, Columella, & Plinius totam hanc rem & ipsi diligenter tradiderunt.

211 A præcone renuntiari. Vetus lectio uitiosa est, & aut sine causa à cōmuni discrepat, aut siquid in se boni habet, ita maculis coopertū habet, ut à me illud erui non potuerit: eam tamen hic adponam, A præcone recinij.

212 Vbi discolores sint ceræ. Antea in excusis, Vbi diuersi colores sint discreti. Ita emendaui ex priscis exemplaribus, modica mihi libertate permissa: in illis enim, Vbi discolores sint cetera. Si cui iudicium meum displicebit, poterit is ex antiquis uestigijs ueriores lectionem indagare.

212 Ad tibicinem Græcum. Optimus, ac uetustissimus codex, Tubicinam Græcum. Quæ postrema uerba in eo sunt: reliquū enim libri defecit. Hinc autem integritas eius codicis intelligi potest, quòd extremum hunc librum multe, ac magnæ maculæ statim occuparunt: quæ antea superstitè illo non tam licenter uagabantur, aut si improbius se extulissent, poterāt coerceri. Ipse nunc eo præsidio destitutus, quid faciā, non habeo: quamuis enim plures ma  
nu scr



nu scriptos libros consulere possim, certum tamen ducem, quo confidam non habeo: ille autem saepe mihi in malis rebus subuenire solebat. Sed maius etiā damnum fecimus, quod antiquus rei rusticae scriptor, si hic liber temporis iniurias subterfugere potuisset, unā cum eo conseruatus esset: & alium, quem tamen habemus, emendatiorem ut puto, haberemus. Sed his nunc relictis, locos nonnullos uitiosos in ultimo hoc margine libri uideamus.

Insulas ludinorum ibi corrosas. Manuscripti nonnulli habent, Ludanorum: alij, Ludoanorum. Ultima harum etiam uox in diuersis libris uariē scripta: Concussas, enim quidam habent, quidam Circusas, alij Corussas. Nihil mendosius, aut negligentius scriptum extrema hac parte dici potest. Fortasse legendum Insulas ludiorum. De sacris autem quibusdā piscibus egit Aelianus, πρὶ ἰδιότητι τῶν ἰσῶν, lib. x i i. primo capite, cuius titulus est, πρὶ τῶν ἰσῶν ἰχθύων τῶν παρὰ μυρεῦσι. Trigesimo etiam primo capite eiusdem libri inquit, χειρὸνθεῖς ὁ ἰχθὺς καὶ ὑπακύνοντες τῇ κλήσει καὶ προφὰς ἀσμένεως δεχόμενοι πολλὰ χόθι καὶ εἰς καὶ τρέπονται &c.

Cum mare turbaretur. In manu scriptis ferē Turbaret: nihil tamen immutauī. Erant & aliae uarietates, scriptura tamen ita perturbata, ut ualde in hac parte laborare me piguerit.

Rhedarias ut tibi haberes mulas. Mulas, non Mulos, in omnibus manu scriptis inueni: Mulas autem ad rhedas iungere ueteres consueuisse, ostendit etiam Vlpianus de aedilitio edicto. L. aediles aiunt, qui iumenta uendunt.

In Baiano autem tanta. Mediae uetustatis liber, In Baiano autem ardis tanta, alij, In Baiano aut ardis.



Quum igitur manu scripti tam diuersi sint, uereor ne hic aliquod mendum lateat.

213 Vt suam pecuniam, &c. Manu scripti omnes quos uidi, Vel ut suam. Plura etiā erant in iisdem libris a communi lectione discrepantia. Sed adeo maculosa, ut magis potuerint impedimento, quā auxilio esse ad locos, si qui uitiosi sunt, purgandos: quare finem hic faciam.

# PETRI VI

CTORII IN COLUMEL-

LAE, DE RE RVSTICA,

libros, castigatio-  
nes.



EC nulla, nec multa in Columella emendaui: neq; enim tantum studium in eo re-stituendo, quantum in superioribus duobus auctoribus posui, neq; tamen non conatus sum aliquid ei opis diligentia mea afferre: quæ uariauerim maioris momenti hic adnotata erunt: quorum autem codicum auxilio id fecerim, nunc declarabo: duos enim habui, quorum alter in Diui Marci bibliotheca seruatur, alter ab Augustinianæ familiæ sodalibus, qui Diui Galli appellantur, possidetur. Priorem illum Nicolaus Nicolus, doctus, & accuratus uir, sua manu exarauit, & quemadmodum suspicor è bono, & uetusto exemplari exscripsit: habuit enim ille magnam librorum copiam, & non paucos etiam ueteres auctores suo labore, & opera descripsit: Hæ enim erant deliciæ ipsius, & in ijs se rebus oblectabat. Vt copiosus autem homo, & locuples,